PRÆLECTIO
PRO CONCURSU
Ad Cathedram Ethicæ

AUCTORE
A.R. P. D.JOSEPHO MARIA AMATI
Lectore Theologo Cœleſtino
Ordinis S.Benedicti.

RECITATA
Coram Illuſtriſs. Domino Studiorum Præfecto, &c. omnigena doctrina referto
D.DIDACO VINCENTIO VIDANIA;
Coram Illuſtriſs. atq; doctiſſimis Primariis Togatis, cæteriſque ſuffragium habentibus
In publico Congreſſu habito
In Collegio S. Thomæ Aquinatis
Neapoli die 10. Novemb. 1721.

Neap.Typis Dominici Roſelli 1721.

Superiorum Facultate.

PRÆLECTIO
PRO CONCURSU ETHICÆ.

VEritas de terra orta eſt, adhuc heri, dum ab homine de terra cœleſti, & de Cœlo terreno (ut phraſi utar Apoſtoli) ab Illuſtriſſimo Domino Studiorum Præfecto vigilantiſſimo, ſorte mihi datum eſt punctum, ex Ariſtotelis Ethica ſumptum: *de Veritate, & ejus extremis*: Hoc ſuper ipſo Illuſtriſſime Præſul, Illuſtriſſimi Senatores, Profeſſores doctiſſimi, humaniſſimi adſtantes, hoc ſuper ipſo Præfationem, prælectionemque fundavero.

Veritas de terra orta eſt, at & juſtitia de Cœlo proſpexit. Aſtream cum ſtatera in Cœlis adſpicio; non inanem illam Gentilium deitatem, ſed Dei juſtitiam perpendentem, quæ judicantur in terris. Hæc in memoriam revocat, quæ

Digitized by Google

ſcribuntur de Balthaſſarre. En meæ præſentantur menti illa verba deſcripta in pariete: Mane, thecel, phares, numeratus eſt, appenſus eſt in ſtatera, inventus eſt minus habens, Quid (me miſerum!) agam?

Quindecim appendimur in ſtatera; quindecim cõmilitones adverſus ignaviæ, & vitiorum crimina belligerantes; Vna conferenda eſt cathedra. Vnum porrigendum bravium. Dicet itaque unuſquiſque de quolibet ex quatuordecim excludendis: numeratus eſt, appenſus eſt in ſtatera, inventus eſt minus habens. In uno, in electo non defecit prælectio: in aliis oratio non erat omnibus numeris abſoluta. En eum, qui numeratus eſt, appenſus eſt in ſtatera, & invẽtus eſt minus habens. Nonne unus in Græco idiomate non verſatus, vel Philoſophiæ ignarus, aut Mathematicæ expers, alius Canonum, vel juris civilis inſcius? ille Medicinam non callet: huic Theologia non favet. Scientiæ de veritate inquirentes, muſarum nomine inſi-

inſigniuntur,quia inter ſeſe,veluti choreas agentes,mutuò alligatæ,manus invicem tradunt. Illi uni debebatur cathedra, dicent,cui manum muſæ,ſcientiæ dabant quæcumque. Ecquid agam, ne de me proferantur hujuſcemodi verba? Muſas num invocavero, ut ſint mihi ipſæ propitiæ?

Abſit, abſit à me taliter inſanire. Non vos Calliope, Vranie, Polihymnia, Clio, Thalia, Melpomene, Euterpe, Terpſicore, ac Erato, non vos imploro inania Etnicorum figmenta. Sub tuis memet alis conſtituo Sanctæ Nympha martyr, cujus annua feſtivitas hac ipſa die, qua loquor,decima, inquam,Novembris, ab univerſali celebratur Eccleſia: tu, quæ Ieſum Chriſtum verum Deum eſſe confeſſa,in ſtatera appenſa martyrii, non inventa es minus habens, tu à tui Sponſo in Cruce pendente impetrato, ut non minus habens inveniar. Ad te confugio SS. Crux: Beata, cujus brachiis, ſæcli pependit pretium, ſtatera facta corporis,

Prædamque tulit tartari. In te Crux gloriabor. O Crux ave ſpes unica. In te ſolummodò ſperans, conabor oſtendere, quod ſcientiarum quarumvis tantum poſſideam, quantum ad Ethicæ famulatum ſit ſatis. Non aberrans à puncto per ſcientias quaſcumque circumferar, ſic ut ſcientiarum lineæ ad punctum unum conſpirent. Sit mihi Crux hac die propitia, & manè videbitis gloriam ejus, dum deſcendero ad textum.

Textus, qui mihi heſterna contigit luce, eſt ex quarto Nicomacheorum cap.7. *de Veritate, & ejus extremis*. Atqui vix ad ſtateram acceſſi, & minus habere ſum creditus ab eo, qui forſitan legit cap.13. libri 4. Nicomacheorum h.m. titulum: De veritate, & ejus extremis; non verum cap. 7. Cave ab unius libri Doctore.

Doctores, & Profeſſores inſignes Græci idiomatis, Philoſophiæ, Mathematicæ, Iuris Canonici, Iuris Civilis, Medicinæ, & Sacræ Theologiæ, doctiſſi-

mo,

mo, cæteroqui Senatui, ac Præfecto Studiorum omnigena doctrina referto voluit adnectere ſtudiorum in hac Vniverſitate Inſtitutor, ut qui ex profeſſo facultates has callent, perpendāt, num quod ex aliena ſcientia quis mutuatur, à veritate declinet. Mutuabor ex Græco idiomate, quod mei faciat ad punctum, objectiſque reſpondeat: Quanti ponderis extet peritia Græci idiomatis, videre eſt inter cætera ex Florentino Generali Concilio, maximè in facto Ioannis Monachi, atque Theologi, qui in medium proferens Græcum volumen, non vitiatum à Marco Epheſino, dignoſcere fecit, quæ vitiarat nequam ille ſectator, quod fuit in cauſa, ut Palęologus Græcorum Imperator, & Græci Romanæ reconcilia-rentur Eccleſiæ. Valet græcum quippè idioma ad Catholicæ fidei veritatē firmandam, ac ad ſcientias compa-randas.

Andreas Mato Græci idiomatis in hac Vniverſitate Profeſſor ſui eximia

doctrina dijudicet, num græco ego profecerim in idiomate, ad tale faſtigium, ut Ethicæ græcum textum interpreter, ac ita Ariſtotelis mentem, quæ ſeſe græcè explicavit, & num in capitum numero erraverim?

Ariſtotelis textus Græcus, non ab ipſo diviſus in capita, ſed à traductoribus variè. Guillelmus du Vallius textum Græcolatinum typis mandavit, & benè leges hunc titulum *de Veritate, & ejus extremis*, apud ipſum capite 13, ſed & admonere ipſe non deſiit, quod alii aliter capita dividant, & caput textus præſentis non 13., ſed ſeptimum dicant. Non itaque primum in numero defeciſſe me dicent.

Græca quædam volumina in 4. libri diviſione ſic habent: Περὶ τὰ ἀυτὰ δὲ σχεδὸν ἐστι καὶ ἡ τῆς ἀλαζονείας μεσότης; Ad hæc verba Argyropilus cum perveniſſet, præfixit eis titulum: Caput 7. de Veritate, & ejus extremis: deinde textum Latinè ſic reddidit: Circa eadem ferè verſatur, & arrogantiæ mediocritas. In

libro

libro autem magnorum moralium lib.1. cap.33. ſimilia in hunc modum leguntur: Αλήθεια διεσί μεταξὺ εἰρωνείας, καὶ ἀλαζονείας; quod in Latinum ſic vertitur: Veritas autem eſt media inter diſſimulationem, & arrogantiam.

Prætereo, quæ Ariſtoteles in libro 3. Eudemiorum capite 7. circa medium de veritate ſimiliter tractat, & ad præſentem textum redeundo, ſtabilio tres theſes, quarum hæc prima: Veritas eſt virtus laudabilis: Secunda, Arrogantia eſt blaſphemanda: Tertia Diſſimulatio vituperabilis eſt. Jacobus Faber Ariſtotelis Commentator ſuper hoc ipſomet noſtro textu novem fundat concluſiones, quæ in tribus hiſce, quas tradidi, pleniſſimè continentur. Antequam ad mearum concluſionum probationem deveniam, placet hæc adnotare. Hac die X. Novembris celebrabãtur à Græcis feſta dicta Pitagia in Dionyſii honorem, & attunc relinebantur dolia, ſeù aperiebantur hæc ipſa, ad deguſtandum vinũ. Ad hæc feſta ſucceſſit

mos

mos itidem faciendi quid ſimile in feſto Sancti Martini. In vino veritas eſt, ait commune proloquium. Hac die, dum deguſtatur vinum, deguſtetur, & veritas, num nempè vere veritas laudabilis ſit?

Audio obmuſſitantem hoc pacto: Jocos inter tempus terit hic perperam. Memineritis, velim, jucundam eſſe virtutem, quare & veritatem. Jucundum dicitur à jocando, & à juvando; quandoquidem per jocos ſæpè juvamus; modo, fateor, joci non ſint hiſtrionum, ſive mimorum, ſed dulcia utilibus miſceantur, nam, ut monet Poeta; omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci. His præguſtatis guſtet, & judicet inſignis Medicus Joannes Baptiſta Balbi in hac Univerſitate Philoſophiæ Profeſſor, quæ proferam hic delibanda, ut confirmem, ac probem veritatem eſſe laudabilem. A Balbo Profeſſore in Almæ Urbis gymnaſio approbatus eſt liber in lucem editus ab Archangelo Romano meæ Cœleſtinæ Congregationis Philo-

ſo-

ſopho præilluſtri : à Balbo approbetur meus ſequens Philoſophicus ſermo, ſi ipſi verè placuerit. De Meteoris in præſenti ipſe publicè legit. Meteora ex græco vertuntur ſublimia. Ad eum ſpectat judicare de medio, qui poſitus in ſublimi ſupra medium eſt elevatus. Media, quæ philoſophicè adfero, ad probãdum intentum, à mediocritate deſumo; & ſic: Veritas media eſt arrogantiam inter, atque diſſimulationem; atqui virtus in mediocritate conſiſtit, ex eaque laudabilitatem deſumit; ergo veritas laudabilis eſt. Confirmo hoc argumentum: Arrogantia, atque diſſimulatio à veritate aberrantia, vituperatione ſunt digna, ut ex ſequentibus apparebit; ergo veritas media ab extremis hiſce maximè diſtans è contrario laudanda. Probatur ulterius: Veritas (intelligo de veritate morali, de qua in præſenti textu ſit ſermo.) Veritas, inquam, eſt habitus ille, quo aliquis dicit præclara de ſe, quæ habet, & eo modo, quo habet; ſed hoc eſt laudandum, ergo laudanda

erit veritas. Majorem explicavero exemplo, quo meam egero cauſam. Si quid præclarum eſt, de quo ſoli Deo gloria, in quo & gloriabor, ſi quid, inquam, præclarum ex tempore in Cathedra componere ethicam, ex eo quod palam illam ità compoſui, & ea cum hoc titulo in lucem ſic prodit: *Ethica ex tempore concinnata* actum produco, quo profero, quod præclarum geſſi, & eo modo, quo geſſi; quod ſi quid non præclarum id eſt, jã non itaque habebor, ut arrogans. Si me in ſublime vellem extollere ſupra id, quod in me eſt, damnandus forem, ut arrogans; at ſi circumſtantiæ ferunt, me talia dicturum, qualia jam protuli, hoc non dabitur arrogantiæ, ſed diſſimulationi negabitur; Diſsimulatio quippe eſt hoc in ipſomet textu non fateri ea, quæ quis manifeſta præclara in ſe habet & veritas, eſt quãdo oportet, tunc illa fateri, & in medium proferre.

Bernardus Segni Ariſtotelis ethicæ commentator in hoc non malè ſe gerens,

rens; advertit; Ironiam adhuc illam damnandam, qua factis exprimitur, (tametſi nõ verbis dicatur) aliud ab eo, quod quis in ſe habet; Tacere autem, dũ oportet loqui, hoc eſt factis aſſerere aliud ab eo, quod quis in ſe habet; ergo. At inquies: Ironia in ſe laudabilis eſt: Eſt ſchema, ſeù figura Rhetorica, de qua Cicero in ſecundo de Oratore ſic loquitur: *Urbana diſſimulatio eſt, cum aliter ſentias, aliter loquare*. Ad hæc reſpondet meus Eminentiſs. Cardinalis Aguirre in Commentarijs ad Ethicam Ariſtotelis in hoc ipſomet capite, quod explanamus. Talis eſt reſponſio: Ironia urbana eſt, & commendanda, cum aliũde conſtat Ironicè dici, quæ cum Ironia proferuntur; cum præſertim ex Ironia nullum ſequitur damnum, nulla injuria, nullum mendacium. Huic me ſubſcribo Doctori, & concludo cũ ipſomet, cum cæteriſque Commẽtatoribus Ariſtotelis quibuſcumque ſequentibus in hoc Ariſtotelẽ, qui id apertiſſime dicit, laudabilem veritatem, quare deteſtabilem Ironiam, ut & arrogantiã. Fu-

ti-

tilè cenſeo,plura ex Commentatoribus Philoſophicè conglomerare, cum Philoſophorum ſit nemo, qui in hoc recedat ab Ariſtotele, vel qui cenſeat Ariſtotelem aliter explanandum. Remanet itàque, ut Mathematicè oſtendam ſenſibilem veritatem.

Accedat,& judicet celeberrimus Auguſtinus Arrianus Mathematicæ Profeſſor in hac Univerſitate laudata. Me in ſtatera, modo quo ſupra, hic appenſum perpendat, num vera æqua lance libravero. De optica ipſe mox docet: Tribus lineis utitur optica; quarum una dicitur plana, alià ad ſignum, diſtantiæ tertia nominatur. Ipſe judicet plane,quantū in ſtatera diſtem à ſigno: Statera à Statica inventa æquipondium adaptat, quo corpora per triplicen Staticam, hydroſtaticam nempe,Æroſtaticam, & Pyroſtaticam,ità in aqua, aere, & igne reſideant, ut non ferantur in altum,ſive in profundum non demergantur. Ex D.Th.hic * veritas in-

ter

* *ſc.in Ethicam Ariſtotelis lib.4.cap. 7.Nicomacheorum lect.15.*

ter magnum, & parvum. Laudabilis Mathematicus, qui parvum, & magnum ubicumque æqua lance librando, non ſinit, quod corpora ad profundum declinent, ſed facit, quod ſtabiliantur in medio. In medio laudabimus veritatē, & ipſam ſequi non pigeat, dum jura ſic exigunt, vel jus violandū illius, qui veritatem, tacendo, non ſequeretur. Ad jus itaque declinemus, & ad jus primò Canonicum.

Canon græce ſignificat calamum, vel arundinem: Arundine aurea Angelus Apocalypſis metiebatur muros Jeruſalem. Fines Eccleſiæ in de Jure patronatus nunc docet in hac Univerſitate Profeſſor Juris Canonici præilluſtris D. Nicolaus Galitia. Galithi græce ſignificat candorem. Candor vocari poteſt ex Guillelmo du Vallio veritas illa, de qua in textu præſenti. Candide candor Galitiæ dijudicet, num de Jure probaverô, quæ de candore, ſeù veritate propoſui.

Habetur libro 4. Decretalium titu-

lo

lo de ſponſalibus, & matrimonio; cap. ex litteris, quod quando duo contrahunt ſponſalia, vel matrimonium, ità ut alter non intelligat, quod alter propoſuit, tunc Judex cogat utrumque ſervare verba, ſecundum ſenſum communem recte intelligentium. Gloſſam lego interpretantem legem hoc pacto, ut ſi verba poſſint intelligi duplici modo, & fuerit dolus ex parte actoris, verba intelligenda ſint, ut placet reo: ſi dolus extiterit ex parte rei, verba intelligenda ſunt, ut placet actori: ſi utrinque dolus extiterit, verba intelligenda ſunt, uti habetur in textu, videlicet juxta ſenſum communem intelligentium rectè. Vno verbo concludam. Lex imponit pœnam devianti à veritate per dolum; Veritatem ergo laudemus, eamque ſequamur, neque diſſimuleamus, vel taceamus; dum loqui eſt opportunum.

Abundantia in Turribus Turris probandi mihi dat copiam, D. Petrus Antonius Turris fecundiſſimus Lector

adhuc

adhuc primarius JurisCanonici in Univerſitate hac noſtra tractatum publice nunc exponit de Pactis. Inibi paſſim adſpicies contravenientem pacto, utpotè à veritate alienum, alienum à jure. Jus non habuit ad primogenituram Eſau, dum pactum iniit cum Jacob, ſe ei primogenituram fuiſſe daturum, ſi pulmentum lenticulæ recepiſſet ab eo: Pacto renuit ſtare; hinc bene à mendacio excuſatus eſt Iacob, dum ſe primogenitum dixit, & verba ſunt intellecta, ut volebat Iacob, quandoquidem dolus extiterat ex parte Eſau rei; & benè Deus dilexit Iacob, Eſau autem odio habuit. Nonne Deo placuit veritas in ipſo Iacob, qui hanc virtutem, de qua in præſenti pluries exercuit? Deo veritas placet: Ità ex civili jure probavero.

Hæres ex aſſe dicitur juxtà legiſtas quiſquis totam hæreditatem capit. Primarius Profeſſor Iuris civilis hac in Vniverſitate perdoctus D. Nicolaus Capaſſus capere aſſem, ſive hæredita-

tem docet, non niſi per veritatem. Clericis ipſe voluit adſcribi, ut ſors hæreditatis æternæ ipſi contingeret, & pars hæreditatis ejus Dominus eſſet: cleros enim græce latine redditur ſors, ſors non ea, quæ Neapoli hodie extrahitur diſtrahenda, ſed ſors verè immobilis,& immortalis. Hic modo ad æternam hęreditatem anhelans dijudicet, quę ad comprobationem mei textus ex Civili textu deprompſero.

Habemus in Codice libro 1.tit.22.l. *puniri*; Conſtantinum juſſiſſe, quod puniretur Iudex, qui falſarii ſcelus puniendum vetuerat. Per falſas preces quidam impetraverat poſtulatū, quod non impetraſſet, ſi falſas non exhibuiſſet preces. Reportatum hoc ad Iudicis aures: Iudex autem vetuit falſarium inde puniri. Hæc relata ſunt ad Conſtantinum, & Conſtantinus æquiſſimè protulit Iudicem illum acriter puniendum. In toto illo titulo ſimilia reperiri ex ipſomet collige titulo, qui talis eſt: *Si contra jus, vel utilitatem publi-*

cam,

cam, vel per mendacium fuerit aliquid impetratum, vel poſtulatum. In gloſſa ad præcitatam legem *puniri* habentur verba recitata jampridem, *veritas Deo placet*. Abeſt portio: hæreditas non aditur, ſi verè portio non poſtulatur. Pinnaculum Templi pertranſire opus erit, dum veritatem extollere nitimur per medicinam.

Medicos advocatos expoſtulo: Ipſi perquirant, num infirmæ ſint rationes, queis veritatem extulero. Protomedicus excellentiſſimus Ioſeph Severinus verè, non ſatis verè me judicet. Severus ex Iſidoro in originum libro dicitur, quaſi ſatis verus, & addit hic Doctor, quia ſeverus non miſcet cum pietate juſtitiam. Severini diminutivi ex Severo cognomen, quam bene illi congruit, qui juſtitiam cum pietate commiſcet: Eum itaque Advocatum appello adverſus me laceſsentem, tamquam in eum, qui ſanam doctrinam ad rem facientem in medium non profert.

Samaritanus cuſtodem ſignificat. Cu-

ſtos hic medicinæ Severinus recogitet, num ſanum exemplum de Samaritano deſumptum? Eſt à me meus Sanctus Gregorius Magnus, qui libro 8.cap.20. Moralium teſtatur, oleum, vinumque in vulneribus applicata per Samaritanum deſignare olei charitatem, pinguedinem, atque dulcedinem, vim verò vini, mordacitatem, aſperitatem; quemadmodum non oleo, & vino ſanantur vulnera corporis, ità & animi vitia fugantur, dum verè, & non ſatis verè, dum nempè extrema veritatis non tangens quis mediam in veritate poſsidet viam, relegatque veritatis extrema.

In Cyro illo Alexandrino Martyre, & medico, media legimus adinventa ad corporis, animique morbos profligandos aptiſſima. In pererudito Nicolao Cyrillo medicinæ primario Lectore in Univerſitate hac eadem remedia apta invenimus ad vincendas ægritudines quaſvis; hinc Nicolai à niceo; quod eſt vinco ex græco, ei bene nomen

men aptatur. Ferit ipſoſmet morbos adhuc Primatus Medicinæ Lector, quàm doctus Ferdinandus Santanellus, & quidem quammelius, quam liber ille, cui titulus *Anello Fiſico* à Pona compoſitus, in quo remedia adferuntur, queis exuperantia humorum abolita, temperies illa ſervetur, qua ſanitas procreatur. Sanguinis, bilis, pituitæ, melancholiæ paſſiones, vel exuperantias docemur ab his præilluſtribus Profeſſoribus relegare; ii ergo dijudicent, num ſanitas, vel ſanctitas ulla valeat obtineri, quin mediocritas in veritate ſervetur, & opportuno tempore à Prudentia hæc dirigatur. A ſanitate ad ſanctitatem non incongrue me proceſſiſſe Theologiæ Judices judicent; ſi me veracem invenerint.

Martinus Lutherus, ter matris vulnus ex Anagrammate ſonans, hac die, qua loquor decima Novembris eſt natus. Non deerit ſentiens natum hunc ipſum die 22. Octobris; ſed bene Aurelius de Genua mediam procedens

per viam, nec ad dexteram declinando, neque ad ſiniſtram, eum natum dicit, vel 22. Octobris, vel 10. die Novembris. Ipſe nequam Lutherus evomuit quamplura à veritate aberrantia. Hac ipſamet die 10. Theologi advertant, num ad ejus, ejuſve aſſeclarum ego mox deliramenta declinem?

Pleraque in ſacris paginis, Sanctis Patribus, receptis Canonibus, & Pontificiis diplomatibus lectitamus, quæ virtutes morales, quas inter veritas collocatur, apud Ethnicos notant non extitiſſe, adeoque ipſas cœleſti gratia egere, Deique auxilio efficaci, quod in Gentilibus non concedendum; pleroſque ex adverſo apud alia loca notamus, ex quibus colligere eſt virtutibus moralibus Ethnicos polluiſſe, ac propterea Auguſtinus Romanum imperium aſſerit dilatatum. Quid in hac rerum ambage? Theologi per diverſa agmina conſtituti extrema diffugiunt, & veritatem attingunt, ſed unitim adverſus hæreticos pugnant: Modum inquirunt, quo iſta

ſal-

ſalventur, non proinde damnandi,cum ab Eccleſiæ definitione hi non ſe amovent.

Uſquequò controvertebatur inter Catholicos, num baptizati ab hæreticis rebaptizari deberent, nemo hæreſeos damnavit pro affirmativa ſtantem, vel pro negativa ſententia; non ſic autem, dum fuit ab Vniverſali Eccleſia deciſum eos rebaptizandos non fore; unde & Auguſtinus ſalvum proclamat Cyprianum, * qui ſenſerat contra id,quod poſteà univerſalis definivit Eccleſia; in barathrum æternæ damnationis vice verſa

* Ne quid videar gratis aſſeruiſſe, audi mentem Auguſtini à Bellarmino ſis explicatam lib.1. de Sacramentis in genere cap. 26. *Donatiſtæ errorem defendebant poſt Eccleſiæ definitionem in Concilio generali, quod eſt hæreticorum proprium. Agrippinus,& Cyprianus non viderant ullam abſolutam Eccleſiæ definitionem, ut Aug. teſtatur lib. 2. de baptiſmo cap.7.& 9.*

verſa demerſos; quotquot poſt definitionem univerſalis Eccleſiæ, aliter defenderunt. Non ergo hæreſeon damnandi ſuper Scholaſticis quæſtionibus diverſimodè ſentientes, ſed ii advocandi ſunt Judices, num à fidei veritate aberremus? Prudenter in hac Vniverſitate proviſum, quod præter ſuos Theologos inſigniſſimos,* quatuor primarii Lectores quatuor mendicantium ſuffragia præberent pro promovendis ad Cathedras ejus. Aſſeclæ Doctoris Angelici Aquinatis, Doctoris ſubtilis Scoti, Reſoluti Doctoris Bacchonis, Aurei Doctoris Auguſtini dijudicent, num à ſanitate ad ſanctitatem tranſierim, utramque confundens contra Catholicam veritatem, quaſi per hoc indicando, quod contra fidem, ceù Scholaſtici pugnant ad invicem, non ut hæreſeon

quem

* *Alluditur ad Vicecancellarium, Theologorum, & Lectores textus, & mentis D. Thomæ ex hoc doctiſſimo cætu ſuffragium conferentium.*

quem taxent, ſed ut ab hæreſi unuſquiſque ſe purget?

Dices ergo Queſnelii, vel Michaelis Baii, vel Lutherani alicujus me promulgaſſe ſententiam, dum ex ea bene inferuntur à Clemente XI. & ab univerſali Eccleſia propoſitiones damnatæ, quæ ſuſtinent extrà Eccleſiam Dei gratiam non reperiri, virtutem nullam moralem proficere quicquam, ſi eam è charitate removeas; fidem ſolum laudabilem nominandam. Hæc abſit affeꝛere: ſolummodo tueor virtutes morales veras, atque perfectas non adinventas apud Gentiles: cæteroqui utut eæ reperiebantur in iis, laudem merebantur in terris, & non omninò erant inutiles.

Habemus in Queſnelio damnatam propoſitionem, quæ ſequitur numero quinquageſimaquinta: Deus non coronat, niſi charitatem: qui currit ex alio impulſu, & alio motivo, in vanum currit. Prima pars hujus propoſitionis bene defenditur à Schola Thomiſtica, nulli certe ſecunda. Secunda propo-

poſitionis pars, & a me cum Clemente XI. anathemate feriatur, utpote ea, quæ præbet anſam peccanti, ut virtutem nullam ſequatur, puta jejunium, ſive abſtinentiam, manſuetudinem, aliaſque, per quas ſcimus viam ſterni ad charitatem. Didicimus ex Philoſopho, quod, ſi propoſitio hypotetica copulativa partes duas contineat, quarum una ſit vera, altera verò falſa, jam falſa propoſitio tota cenſebitur. Ità in caſu præſenti; Dei ergo Dei imploremus auxilium ad virtutes morales habendas, utpotè viam ſternentes ad ſanctitatem, diſtinguamus tamen eaſdem à charitate, quæ virtutes omnes excedit, eſto virtutum omnium ſit forma, ut Thomiſtæ me docent. Doceor hæc eadem à Sereniſſimo Principe Eugenio de Sabaudia, cui totam ſe debet Eccleſia univerſa ob everſos fidei inimicos, doceor, inquam, hac oratione typis impreſſà Romæ Superiorum permiſſu, quæ habet hæc verba; O mi Deus! præſta mihi efficax auxilium, ut voluptatem

mor-

mortificatione, avaritiam elemoſyna, iram manſuetudine, tepiditatem ferventi oratione ſuperem. Enumerantur virtutes morales in hac oratione, quæ quidem oratio ab ipſo quotidie recitatur, ad expoſtulandum à Deo, quæ reddant veram, atque perfectam virtutem omnem moralem. Cum tale auxilium nos habuerimus, quis vetet cum Apoſtolo in Domino gloriari, & veritati adhærendo de ſe præclara ediſſerere, dum opportunitas exigit? Advertendum tamen omninò, ne à veritate aberrantes præclara dicamus habere, quæ non habemus, vel modo, quo non habemus. Id autem duplici modo contingere conſuevit, ut hoc in ipſomet textu noſter Philoſophus admonet: primo cum ex cupiditate laudis, vel gloriæ ad hæc declinamus. Secundo ſi ex cupiditate argenti, vel eorum, quæ pertinent ad argentum. Secundus hic modus deteſtabilior eſt ex Philoſopho hoc in eodemmet loco, quam primus, & jurementò quidem; nam ſi laudes,

vel

vel gloriam concupiſcimus, id concupiſcimus, quod homini propriè adaptatur: honeſtum namque dicitur ab honore, & honeſtus quoque, quaſi hominis ſtatus.

Dum argentum, vel ad argentum pertinentia concupiſcimus, non petimus, quæ propria ſunt hominis, & recedimus à veritate cum detrimento alterius. Labuntur in h.m. vitia, qui ſe jactant habere ſcientias quamplurimas, ut ad ſui Scholas alios trahentes pecuniam colligant multam. Multandi ſunt h.m. homines, & blaſphemandi; ſummum enim inferunt nocumentum iis, quos docendos aſſumunt. Qui verax eſt, & non arrogans, is ea dicit habere, quæ habet, & eo modo quo habet; ſi præclara illa cenſentur, & valeant ad cathedram obtinendam, vel lucrum, de iis in Domino gloriatur, ſin autem illa ſufficiant, ſibi ſufficit ipſe, & ex corde ſic profert: Paradiſus ſufficit mihi. Dicent: Id eſt ſimilatio. Reſpond. cordis perſcrutator eſt Deus: tale Deo ſerva ju-

di-

dicium, & *illum* blasphemandum non dubites, qui diſſimulator eſt, per veritatis ſemitas non incedendo. Reprehendit hoc vitium in Lacedæmonibus Ariſtoteles; hi vilibus incedentes veſtibus à veritate aberrabant diſſimulantes, nō enim taliter incedebant, ut ſancti homines, qui ſic apparent, ut aliis ſe inferiores oſtendant, ſed ita vivunt, ut valeant adverſum alios inſurgere; nec alibi ſanctitatem exiſtimant reperiri, quam in ſordidis veſtibus, quibus ipſi teguntur. Sunt qui credunt ſe ſupremum ſanctitatis faſtigium pertigiſſe;

Ad hæc proclamatum eſt ſatis, nam horam tranſiiſſe obſervaverant.

Digitized by Google

Lettera del Padre Reverendiſſimo D. Ludovico Graſſi Abbate Generale de' Padri Celeſtini dell' Ordine di San Benedetto.

Molto Reverendo Padre.

DO' alla P. V. la licenza, che deſidera di poter concorrere alla Catedra di Filoſofia Morale in coteſti Studj publici; e di vero cuore le auguro dal Cielo una felice riuſcita dal decoroſo impegno, che hà intenzione di prendere. Con che me le offero con tutto l'affetto, e la ſaluto per fine caramente.

Di V.P.M.R. Collemaggio 12. Sett. 1721.

Affezionatiſs. in Chriſto Fratello

D. Lodovico Abbate Generale.

P. Lettore Amati. Napoli.

Rev. D. Julius Nicolaus Torno Examinator Curiæ Archiepiſcopalis revideat, & referat. Neap. 18. Novemb. 1721.

D. Petrus Marcus Gypt. Can. Deput.

Eminentiſs., & Rever. Domine.

PRælectionem ab A.R.P.D. Joſepho Maria Amati Cathedram Ethices prenſante habitam E.V. mandato perlegi, atque in eâ nihil à purioris ideſt Chriſtianae Ethices, aut Catholicae Fidei dogmatis diſſonans deprehendi; Quinimmò in ſeveriorum diſciplina-

rum

rum effatis concinnandis haud vulgarem elegantiam mirâ cum profunditate feliciter eum conjunxiſse ſuſpexi. Poterit ergo luce publicâ frui, aliud E.V. non ſentiente. Datum Neapoli XIII. Calendas Novembris anno Epochæ Chriſtianæ MDCCXXI.

E.V.

Humill.Obſeq.& Addictiſs. Famulus

Julius Nicolaus Tornus.

Attenta ſupradicta relatione. Imprimatur.

Neap. 22. Novemb. 1721.

D.Petrus Marcus Gyp.Can.Dep.

Adm.R.P.Fr. Andreas Maſtelloni revideat, & in ſcriptis referat.

Gaeta R. Mazzac. R. Giovene R. Falleta R.

Proviſum per S.E.Neap.die 25.Nov.1721.

Maſtellonus.

Excellentiſs. Princeps.

VEritates à filiis hominum diminutas, mundo, quem Domum mendacii dixit Oſæas (cap. 14.) Exponit Reverendus Admodum P. D. Joſeph Maria Amati Cœleſtinæ Congregationis Præfulgentiſſimum ſydus, Prælectione ſua prò concurſu Ethicæ; Quam aurea concinnatam facundia, pretioſo in paginis exaratam calamo ingenti animi voluptate, quò Excellentiæ Tuæ juſſis obtemperarem, percurri. Hanc per omnium Facultatum argumenta fœlicitèr Veritatem annuntian-

tiantem,lucidè oſtendentem,SapientiæTheatrum,Scientiarum Encyclopediam , arborēque univerſo doctrinarum genere,ac fructu feraciſſimam,merito dicendam cenſeo . Primum etenim ſcibile jam diù exoptatū, quid nempè ſit Veritas,clare definit. Hoc , quod nec ab ipſo Veritatis Authore aſſequi dignatus eſt iniquus ille Judææ Præſes , omnibus patefactū præſtat eruditiſſimus noſter Auctor Veritate ſua.Hæc ſi præ i beneficio omnibus proponatur non odiū pariet,conciliabit amorem; Siquidē omnis homo mendax, diligens vanitatē,quærens mendacium , Veritatem in deliciis habens, ignorantiæ deteget ex hujuſmodi Prælectione caliginē . Nihil in ea devium à ratione, vel à Regio Jure diſſonum animadverti,quinimmò potiùs cū Veritatem præſeferat , morum innuens integritatem , Cæſari, quæ Cæſaris ſunt danda præſcribit. Debita igitùr Veritati exhibēda ſunt teſtimonia ; Et quem dicendi venuſtas,materiæ ſoliditas probant , plenum gratia,& Veritate omnes agnoſcant.

Datum ex Carmelo Sanctæ Mariæ de Vita die 25. Novembris 1721.

Exc.T. Addictiſs.& humill. Servus

Fr.Andreas Maſtellonus Ex-Aſſiſtens Generalis Carmelitarum pro Natione Italica.

Viſa ſupradicta relatione imprimatur. Verū in publicatione ſervetur Reg. Pragm.

Gaeta R. Mazzac. R. Giovene R. Falleta R.

Proviſum per S.E.Neap.die 29.Nov.1721.

Maſtellonus.